



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

XXVIII. De propugnaculis quae fiunt in ecclesiis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

ANNO  
CHRISTI  
1187.

XXVI.

Nonnulli afflictis ecclesiis, quæ vacationis laborant incommodo, non verentes afflictionem addere, bona earumdem ecclesiarum diripere ac occupare nituntur. Ex quo graue ipsis ecclesiis in rebus earum prouenit detrimentum. Nos super hoc vacantibus ecclesiis prouidere volentes, eos, qui vacantium ecclesiarum & decedentium clericorum bona immobilia seu mobilia de cetero vsurpabunt, aut vsibus propriis deputabunt, excommunicatos esse volumus ipso facto.

XXVII.

Curent archiepiscopi & episcopi commissas eis prouincias omni sollicitudine ab insidiis inimici humani generis; & qui circuit quærens quem deuoret, per se vel alios custodire. Et quia ob defectum visitationis multos mares & mulieres quasi sexagenarios inuenimus, nondum vnctione christi confirmatos, præsentis constitutionis tenore sancimus, vt singuli archiepiscopi, & episcopi, ciuitates & dioceses suas per se, vel per alium, aut alios, anno quolibet, vel ad minus de biennio in biennium, visitare studeant, confirmando confirmandos, & corrigendo quæ sunt corrigenda.

XXVIII.

Nonnullos, qui guerras habent vel inimicitias cum aliquibus ecclesiis sibi vicinis, campanilia siue domos ipsarum occupare audimus, ac armatis & ædificiis ad pugnandum incastellare præter prælatorum assensum; & in vltiones contra votum, & propter hoc inimici eorum incastellationes & muni-



tiones huiusmodi occupare volentes, ecclesias ple-  
rumque occupant & comburunt; quod omnino  
prohibere volentes, præsentis constitutionis tenore, omnes, qui de cetero ecclesias, seu domos, & campanilia ecclesiarum occupare, incastellare, aut munire personis armatis, vel quibuslibet ædificiis præsumserint, sub pœna excommunicationis, quam in eos per superiores fieri volumus, hoc edito perpetuo monemus, ne contra assensum prælatorum audeant ecclesias munitioibus & incastellationibus huiusmodi molestare, & heredes eorum, si in huiusmodi paternæ violentiæ participes fuerint, eadem cum parentibus volumus pœna mulctari. ANNO CHRISTI 1237.

X XIX.

Nonnulli, sicut audiuius, pro maritorum seu filiorum debitis vxores seu matres excommunicant ordinaria fulti iurisdictione; quod iuri & æquitati contrarium reputantes, id fieri de cetero prohibemus, nisi mater & vxor succedant in bonis mariti, seu filii defunctorum.

X XX.

Spoliatores stratarum, & raptores alios, qui transeuntes per vias aut stratas publicas, viduas, pupillos, & personas alias, eorum bona vi spoliant, eorum violentias, quæ perturbationem desiderandæ pacis inducunt, volentes de cetero coerceri, præter pœnas, quas eis sacratissimæ leges imponunt, tali volumus, nostro feriente correctionis gladio, pœna mulctari, vt tam ipsi, quam receptantes eos scienter, & dantes eis auxilium vel fauorem, ipso facto nodo anathematis sint innodati.